

M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

57
C A R M E N
DE PROPAGATIO-
NE ECCLESIAE, ET SCHOL-
larum, Scriptum

A

M. BVSSONE MATZELIO
VVITSTOCKCENSI.

ADDITVS EST ET 140. PSAL:
continens precationem contra hostes deua-
stantes Ecclesias & Scholas, ab eo-
dem carmine redditus.



VVITEBERGÆ EXCVDE-
bat Laurentius Schwenck,

M. D. LXIII.

Matt. 16. sunt uerba Christi ad
Petrum:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædifica-
bo Ecclesiam meam &c. Hoc dictum ad
uerum sensum sic ab eodem Car-
mine redditum est.

Πέτρος ὁ ἐσὶ σύ, ὃ θήσω πέτρα δ' ὡς ταύτη,
σκενίδιον τὸ ἐμὸν, ἰδίῳ γε τὸ αἶματ' ἔγεραι.
οὐτ' αἶδαο πύλαι τε καὶ χύσασθ' ὑπὲρ αὐτῆς:
ἀλλὰ θεὸς δυνατὸς τε λόγῳ τῆς ἰσθ' ἀνάσσει.
οὐκ ἄρα εἰσὶν ἐτήτυμα, ταῦτ' ἅπαντα δ' ἀγορεύει,
διὸ γὰρ ἀποστολικῆς διαγράμματος καθὼς περιποιεῖται
κατ' ὁλοκλήρως ὄνομα δὲ προσέθηκεν ἑαυτοῦ,
ταυτῆς ἀλλὰ θεὸν κεφαλὴν τοι ἔειπεν ὁ πέτρος,
γράμματ' αὖθις ἡρώδης τὸ πολὺ λωῖον οἶδεν.
τόνδ' εὖ λόγον δ' ἐδέλκασε βέβαιον ὁ χρηστὸς Ἰησοῦς
ὥτινι δυναστεῖες ποινὴν τίσασσι βαρεῖαν.
ἐξ ὁ μᾶκρος, τὴν πίσιν ἔχωρ ἐπὶ τῆδε θαλάσσῃ.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

bat. I. Antiquarische Bibliothek

M. D. LXXIII.

Illustrissimo Principi ac Do-
MINO, DOMINO BERNHARDO,
Principi ad Anhalt, Comiti Ascanie, Domi-
no in Seruest, & Bernburg, Domino
suo clementissimo S. D.

SIC cunctos homines mira Deus arte creauit,
Ut sibi conformem colligat inde chorum.
Corpora nostra simul uoluit sua templa uocari,
Atq; pia Christi dogmata mente sequi.
Ne tamen hunc mundum statuatur rectore carere
Impius, & gratis numina uana colat:
Pectoribus nostris insculpsit rite sequenda
Fila sue lucis, quæ probat omnis homo.
Præter id in uera iuuenes pietate poliri
Mandat, Palladias approbat atq; domos.
Hinc animis ardens prodit generosa iuuentus,
Exercens artes, non sine laude, bonas.
Qui populo rectè referunt oracula CHRISTI,
Primum literulas hic didicere sacras.
Quare cum Princeps doctas complecteris artes,
Flagrantes studijs nec minus ipse foves.
Carmina pauca legas, animum dextreque probato,
Nam certè quicquam commoditatis habent.
Iam precor, incolumem te seruet ut arbiter æqui,
Ætatiq; tuæ det pia fata, Vale.

Tuæ Celsi:

additiss:

M. Bussò Matzelius
Vuitstockensis.



Siderum solo qui uerbo struxit Olympum,
Et resplendentis lumina clara poli:
Corpus hic humanum facili fabricauit & arte,
Accipiens modicam ceu bonus autor humum:
Hunc uastum fulcris sine, qui dedit, omnibus orbem,
Nec minus hoc præstans iam moderatur opus:
Hic Deus à prima crescentis origine terræ,
Hoc habuit cætum semper in orbe pium.
Cernitur hinc nostris constans Ecclesia seclis,
Præcipuum Christus cui caput ipse manet.
Hoc duce saluatur per mille pericula: sola
Diuina languens hac retinetur ope.
Hæc oculis nostris latè dispersa uidetur
Non uni, credens turba, ligata loco.
Hanc sibi saluificum per uerbum colligit, atq;
Eligit è uarijs gentibus usq; Deus.
Hæc regitur sacris nullo discrimine dictis,
Et certum signum mystica scripta tenent.
Constantiq; fide solum comprehendit Iesum,
Quilibet à Turcis discrepat hæc q; fide.
Relligione colit quadam mysteria sacra,
Quæ firmata manent instituyente Deo.
Et corruptelas, quia uerbi nouit apertas
Has uitat pestes qua ratione potest.
Noxia si qua uidet contagia dogmatis æqui,
Omnia proposita lege mouenda putat.

Negligit

Negligit & falsos cultus Ecclesia uera,
Viuerē nec magna conditione cupit.
Legibus hæc nullis hominum collecta tenetur,
Cælestem uocem sed pia iussa notant.
Deinde refert omni Lunæ quoq; tempore formam,
Eius & effigiem nunc ea tristis habet.
Crescere parua solent ut primæ cornua Lunæ,
Parua prius fiunt grandia parte sui.
His glomerata modis augetur turba piorum,
Quæ uera Christum simplicitate colit.
Mox quoq; sanctorum decrescit magna caterua,
Tunc retinent pauci corda probata fide.
Sed tamen est & in his terris Ecclesia uera,
Cætus ad extremos permanet ille dies.
Qui licet exiguus sit nullo celsus honore,
Despectus populis hic & ubiq; feris:
Est tamen æterno patri gratissimus hortus,
Hic posuit plantas fonte rigante suas.
Fons est diuinum cuius conspergine uerbum,
Christicolæ sunt herba satiuæ Deo.
Plantæ sunt homines credentes (accipe rectè)
Nunc siccum ualde quæ tetigère solum.
Sed bene florebut uernanti tempore quondam,
Cum dextra iudex uindice Christus erit.
Interea paucos saltem seruare fideles,
Illos iure decet, qui sacra dicta docent.

Et quia non stabilis locus est credentibus ullis,
Quos Dominus nutu congregat ipse suo.
Nec possunt auro semper pia membra foueri,
Es quibus adiunctum Christe benigne caput.
Forsan egent alijs seruando corpore fulcris,
Donec in hoc mundo turba pusilla manent.
Hinc Deus aeternus non sustentacula cernens,
Omnibus ex rebus, quas nouus orbis habet:
Quo posset socijs Ecclesia lassata iuuari,
Prouidit multis huic opus esse scholis.
Vt prudens igitur rex rerum, factor & equus,
Discreuit miris cuncta creata modis.
Cœtibus extruxit castis habitacula certa,
Hæc dixere scholas nomine ritè suo.
Quæ probitate uiros nulli persæpe secundos,
Præbent eximios artibus atq; bonis.
Hinc prodire solent formandis moribus apti,
Inde salutaris ciuis & omnis abit.
Conspicui uirtute uiri, rerumq; potentes,
Ac ueniunt alij, quos memorare licet:
Qui medicas tractant artes fœliciter, illi
Acceptum referunt hoc opus omne scholis.
Qui quærent laudem, sanctissima Iura sequuntur,
Coguntur casulas has & audire prius:
Hinc etiam rerum sunt cognitione stupendi,
Qui magna populos dexteritate regunt.

Hinc

Hinc est doctrinis varijs mens culta quibusdam,
Ut possint alios post docuisse rudes.
Hæc loca saluantis præbent simul organa uerbi,
Quæ sic præ reliquis curat amatq; Deus.
Ut redimant animas de sæui fauce Leonis,
Et populo pergant insinuare fidem.
Horum consilio prudenti cuncta geruntur,
In templis passim quæ decuisse solent.
Seruaturq; uiris his plebs malefida uerendis,
Ne Christo spreto sit sibi causa mali.
Morsu ne Sathanæ plures rapiantur auaro,
Carniuoræ fuerant qui data præda neci.
Euadantq; sinus æternæ mortis acerbos,
Nec factis obsit mors uiolenta pijs.
Et quamuis perdat miserorum corpus egenum,
Non tamen hac animæ parte nocere potest.
Tanta suis donis aliquos præstare ministros,
Quæ modo mens hominum (sit nisi cæca) uidet.
Quare quam laudem mereantur munere tali,
Num mea lingua queat connumerare satis?
Excellens quibus est gratæ facundia linguæ,
Ut moueant quosdam per sua uerba pios:
Ampla quibus plenum diffundit copia cornu,
Ædificent humiles ut loca grata scholas.
Carminè quis digno tales celebraret alumnos,
Qui rebus populum consilioq; iuuant?

Hinc ad nos redeunt omnes quoq̄ commoda tanta,
Quæ uel facundus nemo referre potest.
Hic inculta suos ætas absolueret cursus,
Et potis est linguas edidicisse duas.
Hic rudibus uacuas mentes formabit ab annis,
Ut frenet mores, arte iuuante, feros.
Hoc probat astriferi dexter moderator Olympi,
Hoc iubet & pietas, hoc monet æquus amor.
Hac quia nos miseros Deus omnes lege creauit,
Alter ut alterius maxima damna leuet.
Doctus ut ignarum doctrinæ quemlibet omnis
Edoceat, quamuis dona nec ampla ferat.
Utilibus longum perceptis rebus ad æuum,
Incultos pueros quisq̄ docere uelit.
Insita quo natis ^{sogri} uideatur honestis,
Plurima quæ castæ munera mentis habent.
Sic petitur cælum, si sit tibi cognitus ille,
Qui natum rutila misit ab arce suum.
Verius est nemo Christum qui norit Ihesum,
His quàm qui studijs deditus ante fuit.
Qui fuit à teneris Musarum cultor & annis,
Proximus hic didicit, qua sit alendus ope.
Scit qua sint homines mortales parte iuuandi,
Officium propria sponte facitq̄ suum.
Redditur aut rerum magnarum splendidus autor,
Dum res communes more decente iuuat.

Efficitur

Efficitur uerbi uel fidus præco sacrati,
Promouet ac plures ad tua tecta Deus.
Siue gubernandis domibus fit forte Magister,
Commodus est reliquis, ciuis in urbe sua.
Quis poterit sapiens igitur simul ore disertus,
Hoc factum merita tollere laude pium?
Si curat sedes loca quis per certa struendas,
In quibus erectis culta iuuenta foret.
Qualia iam passim præbet Germanica terra,
Egregias artes quæ colit, atq; fouet.
Sed Deus est querula flectendus uoce, ruinam,
Ne status hic celeri mobilitate trahat.
Hactenus hæc densis tenebris iacuere sepulta,
Artes qui posset tradere, rarus erat.
Iam quia diuino sunt rursus reddita dono,
Reddita sunt auida nunc repetenda manu.
Nec discendarum properans occasio rerum,
Temporibus nostris est fugienda bonis.
Est quod & argenti mundi postrema senecta,
Grege Christi grandes fit minor inter oues.
Languidus hic seuos prouoluitur inter & hostes,
Crudeli tenuis Marte repulsus abit.
Nos decet unanimes autem tractare salubres
Artes, ut uigeant iussa uerenda Dei.
Ut miser & cætus Christo seruetur Iesu,
Cuius præsidio tutior esse potest.

PSAL:



e
Psal: 140. continens præca-
TIONEM CONTRA HOSTES DE-
uastantes Ecclesias, & Scholas, ab eodem
Carmine redditus.

ERipe me tu Christe pater de fraude maligni,
A callidi defende me dolis, viri.
Auxiliare mihi, quò nunc consistere possim,
Contra malum virum statim me protegas.
Ac animis scelerata suis sine fine uolutant,
Et incitant prauos ut hi bellum parent.
Exacuere suas linguas serpentis & instar,
Et aspidum virus latet sub labijs:
Adfer opem quoniam iusti subuertere gressus,
Iam machinati sunt & impijssimi.
Abscondere mihi laqueos, & recte superbi,
Et tortiles funes tetenderunt mihi,
Tendiculas, pedicasq; simul posuere profani
Hac parte, qua uiam uolebam carpere.
His igitur varijs circumdatus ipse periclis,
Hæc uerba rettuli creatori meo:
Summe pater nostris dictis nunc adijce mentem,
His præbeas aures precationibus:
Esto meum robur, mihi des clypeumq; salutis,
Cum res id exigat, tegas caput meum.

Quare

Quare Christe veta, ne crescant vota maligni,
Hos destruas vt se nimis non efferant.
Consilijs pereant vanis, quibus oppugnare volebant
Me non reum, sed obruant horum caput.
Atq; cadant in eos carbones igne micantes,
Hos fossa præceps comprimat vel ad necem.
Proditor atq; loquax nec in hac consistere terra
Valebit, hunc sequetur ingruens malum.
Et quisquis cumulat sceleratè facta peribit,
Et subruetur mole maxima nocens.
Certè non dubito, quin Christe tuebere cunctos,
Qui sic premuntur à malis supra modum.
Hos, ope qui careant humana, Gnate iuuabis,
Et iudicabis improbissimos viros.
Tunc omnes iusti celebrabunt nomen Iesu,
Et laudibus tollent pijs factum tuum.
E regione tui vultus cand ore probati,
Concorditer sedes tenebunt optimas.

F I N I S.

Concorditer sedes remaneant optimas.
Regionumque saltem cunctis ore prodant,
Et laudibus tollentque factum tuum.
Tunc omnes in se celebrant nomine Iesu,
Et in laudibus impudenterque precor.
Hic, ore qui carmine huiusmodi, Quis in laudibus
Qui sic protulit huiusmodi, Quis in laudibus
Certe non dubio, quia Christus inebriat cunctos,
Et protulit modo maximum nocens.
Et protulit cunctis huiusmodi factum tuum.
Prodantque factum nec in hoc consistere terminum.
Hic, ore qui carmine huiusmodi, Quis in laudibus
Concorditer sedes remaneant optimas.

F I N I S



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]



CARMEN
DE PROPAGATIONE
ECCLESIAE, ET SCHOLARUM,
Scriptum

A

M. BUSSONE MATZELIO
VVITSTOCKCENSIS

ADDITIONVS EST ET 140. PSAL:
*continens precationem contra hostes deuas
stantes Ecclesias & Scholas, ab eodem
carmine redditus.*



VVITEBERGAE EXCVDE
bat Laurentius Schwenck.

M. D. LXIII.

